

dam materiam ac scitu perdifficilem, cœleste, uidelicet, corpus, in quod si tanquam in speculum direxeris aciem, immensam quandam & uerè admirandam creatoris uirtutem intuebere. Tales spectare iussit astrorum choros, dum mortalibus ora daret sublimia rerum conditor, dignum profectò arbitratus, quomodo uniuersis præfecerat creaturis medium inter eas considerare, ut pede quidem calcante, terrenis imperare uiderentur, fronte uerò sublimi atque erecta diuinis fruerentur delicijs. Quid enim iocundius, quid amœnissimum, quid denique suauius afficere oculos potest, quàm illa tot & tantorum lumina uenustissima atque ordinatissima series. Eo quippe si rapieris animo, experieris nihil te unquam sensisse in omni uita delectabilius. Hinc maior huius disciplinæ pendet difficultas, quanquam nec illa quidem parua est quam nobis peregrinorum codicum interpretes pepererunt. Difficile est sanè atque arduum, ut quæ in aliena lingua benè dicta sunt, eundem decorem eandemque facilitatem in translatione conseruent, etiam si à disertis uiris summo studio ac diligentia translata fuerint. Quod si parum uel disertus uel curiosus fuerit interpret, scabra prorsus & turbulenta redundat oratio. Quod mihi planè euenisse uidetur, in preclarissimo illo Ptolemæi libro, quem Magnam compositionem uocant, quod apud Græcos mira facilitate facundiaque resplendat, ita apud Latinos durum ineptumque habetur, ut ne Ptolemæus quidem ipse, si reuiuiscat ipsum sit pro suo recepturus. Id cum tu tecum aliquandiu mente uoluisses excellentissimè princeps Bessarion, graui supra modum molestia affectus fuisti, non tam quod aureum illud flumen ingenij Gentilis tui, interpretum uitio in tantam barbariem deuenisset, quàm quod Latini nostri, quos singulari amore beneuolentiaque prosequeris, tam excellentem ac preclaro opere carerent. Satis enim uidebamur eo carere, qui ita barbare atque ineptum translatum habebamus. Decreuisti sanè tunc uir utriusque linguæ peritissimè, nec minus Latinam quàm patriam callens, una & patriæ tuæ & nostræ consulere, illi quidem restituendo splendorem pristinum, nobis uerò illius ueram effigiem donando, cuius antea deforme simulachrum habebamus. Cœpisti igitur præclarum illud opus iterum Latinum facere, ut Latinos tuos studiosissimam hanc patriam maioribus quotidie beneficijs demereris. Verum onus delegatum tibi tunc apud piissimum imperatorem prouinciæ à proposito reuocauit, nec publica Christianæ religionis negotia, quibus incumbere necesse erat, uacare te literis permisere. Quocirca
per alium